



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem  
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Posterior pars opinionis, Nomen qui est, & tetragrammaton idem esse. c.  
3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)



Ille enim etiam sunt: sicut commune est nomen, sapiens, secundum totam etiam analogiam extensionem: si vero accipias pro principali significato, hoc est, pro eo, quod est per essentiam, vel semper sine ulla mutatione, sine fine, & principio, nihil commune significat: sed eadem ratione nomen sapiens sumptum pro principali significato non denotat aliquid commune creaturis; significat enim sapientem per essentiam, quod non conuenit creaturis.

## ARTICVLVS XII.

*Utrum propositiones affirmatiue possint formari de Deo.*

**A**D duodecimum sic proceditur. Videtur, quod propositiones affirmatiue non possunt formari de Deo. Dicit enim Dionysius 2. cap. celestis hierar. quod negationes de Deo sunt veræ, affirmationes autem incompectæ.

2. Præterea Boetius dicit in libro de Trin. quod forma simplex subiectum esse non potest. Sed Deus maxime est forma simplex, ut supra ostensum est. Ergo non potest esse subiectum: sed omne illud, de quo propositio affirmatiua formatur, accipitur ut subiectum. Ergo de Deo propositio affirmatiua formari non potest.

3. Præterea, omnis intellectus intelligens rem aliter quam sit, est falsus, sed Deus habet esse absque omni compositione: ut supra probatum est. Cum igitur omnis intellectus affirmatiue intelligat aliquid cum compositione, videtur quod propositio affirmatiua vere de Deo formari non possit.

Sed contra est, quod fidei non subest falsum: sed propositiones quædam affirmatiue subduntur fidei, utpote quod deus est trinus, & vnus & quod est omnipotens. Ergo propositiones affirmatiue possunt vere formari de Deo.

Respondetur dicendum, quod propositiones affirmatiue possunt vere formari de Deo. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod in qualibet propositione affirmatiua vera oportet quod prædicatum, & subiectum significant idem secundum rem aliquo modo, & diuersum secundum rationem. Et hoc patet tam in propositionibus, quæ sunt de prædicato accidentali, quam in illis quæ sunt de prædicato substantiali. Manifestum est enim, quod homo, & albus sunt idem subiecto, & differunt ratione. Alia enim est ratio hominis, & alia ratio albi. Et similiter cum dico, homo est animal. Illud enim ipsum quod est homo, vere animal est. In eodem enim supposito est & natura sensibi-

*Usque in 1. part. Tomus I.*

## ARTIC. XII.

315

lis, à qua dicitur animal, & rationalis, à qua dicitur homo. Vnde & hic etiam prædicatum, & subiectum sunt idem supposito, sed diuersa ratione. Sed in propositionibus, in quibus idem prædicatur de seipso, hoc aliquo modo inuenitur, in quantum intellectus id, quod ponit ex parte subiecti, trahit ad partem suppositi: quod vero ponit ex parte prædicati, trahit ad naturam formæ in supposito existentis: secundum quod dicitur, quod prædicata tenentur formaliter, & subiecta materialiter. Huic vero diuersitati, quæ est secundum rationem, responderet pluralitas prædicati, & subiecti: identitatem vero rei significat intellectus per ipsam compositionem. Deus autem in se consideratus est omnino vnus & simplex: sed tamen intellectus noster secundum diuersas conceptiones ipsum cognoscit, eo quod non potest ipsum, ut in seipso est, videre. Sed tamen quamuis intelligat ipsum sub diuersis conceptionibus, cognoscit tamen quod omnibus suis conceptionibus responderet vna & eadem res simpliciter. Hanc ergo pluralitatem, quæ est secundum rationem, repræsentat per pluralitatem prædicati, & subiecti: unitatem vero repræsentat intellectus per compositionem.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius dicit, affirmationes de Deo esse compactas, vel inconuenientes secundum aliam translationem, in quantum nullum nomen Deo competit secundum modum significandi, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod intellectus noster non potest formas simplices subsistentes, secundum quod in seipsis sunt, comprehendere: sed apprehendit eas secundum modum compositorum in quibus est aliquid quod subiicitur, & est aliquid quod inest. Et ideo apprehendit formam simplicem in ratione subiecti, & attribuit ei aliquid.

Ad tertium dicendum, quod hæc propositio, intellectus intelligens rem aliter quam sit, est duplex: ex eo quod hoc aduerbium, aliter, potest determinare hoc verbum, intelligit, ex parte intellecti, vel ex parte intelligentis. Si ex parte intellecti, sic propositio vera est. Et est sensus. Quicumque intellectus intelligit rem esse aliter quam sit, falsus est. Sed hoc non habet locum in proposito: quia intellectus noster formans propositionem de Deo, non dicit eum esse compositum, sed simplicem. Si vero ex parte intelligentis, sic propositio falsa est.

Dd

Alius

Alius est enim modus intellectus in intelligendo quam rei in essendo. Manifestum est enim, quod intellectus noster res materiales infra se existentes intelligit immaterialiter, non quod intelligit eas esse immateriales, sed habet modum immaterialem in intelligendo. Et similiter cum intelligit simplicia, quæ sunt supra se, intelligit ea secundum modum suum, scilicet compositæ: non tamen ita, quod intelligat ea esse composita. Et sic intellectus noster non est falsus formans compositionem de Deo.

**C**onclusio articuli est. Propositiones affirmantes formari possunt, & enunciari de Deo. Sed quoniam, ut propositio aliqua sit formalis, non identica (ut Logici dicunt) opus est subiectum, & prædicatum aliquo modo convenire, & aliquo modo etiam differre; tractari solet in hoc art. de distinctione attributorum ab essentia Dei, & inter se, de quo commodius differemus disp. 110. & seq. ubi in univsum de omni distinctione rationis eorum, quæ in Deo sunt, necesse erit disputare: obiterque videbimus, quia ratione non solum propositiones aliquæ de Deo vere enunciari possint, sed aliquæ etiam sint falsæ. Nunc quæ diximus, sufficiant pro hac tota quæstione.

## QVÆSTIO XIV.

## De scientia Dei.

**P**ost considerationem eorum, quæ ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de ijs, quæ pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quædam est, quæ manet in operante, quædam vero quæ procedit in exteriorem effectum: Primo agemus de scientia & voluntate (nam intelligere in intelligente est, & velle in volente) & postmodum de potentia Dei, quæ consideratur, ut principium operationis divinæ in effectum exteriorem procedentis. Quia vero intelligere quoddam vivere est: post considerationem divinæ scientiæ, considerandum est de vita divina. Et quia scientia verorum est, erit etiam considerandum de veritate, & falsitate. Rursum, quia omne cognitum in cognoscente est, rationes autem rerum secundum quod sunt in Deo cognoscente, idæ vocantur, cum consideratione scientiæ erit etiam adiungenda consideratio de eis.

Circa scientiam vero quærentur sexdecim.

**I**uxta divisionem, quam præmisimus supra initio q. 3. iam incipit S. Thom. ab hac quæst. usque ad 26. de perfectionibus Dei, quæ in operatione immanenti consistunt, disputare: inter quas prima est scientia, & operatio intellectus, de qua; & de pertinentibus ad ipsam tractat ab hac quæstione usque ad 18.

## ARTIC. I.

## ARTICULVS I.

## Verum in Deo sit scientia.

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit scientia. Scientia enim habitus est, qui Deo non competit, cum sit medius inter potentiam & actum: ergo scientia non est in Deo.

2. Præterea. Scientia, cum sit conclusionum, est quædam cognitio ab alio causata, scilicet ex cognitione principiorum. Sed nihil causatum est in Deo: ergo scientia non est in Deo.

3. Præterea. Omnis scientia vel univialis, vel particularis est. Sed in Deo non est univialis, & particularis, ut ex superioribus patet: ergo in Deo non est scientia.

Sed contra est, quod Apostolus dicit Rom. 31. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.

Respondeo dicendum, quod in Deo perfectissime est scientia. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod cognoscentia à non cognoscentibus in hoc distinguuntur: quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum, sed cognoscentis natum est habere formam etiam rei alterius: nam species cogniti est in cognoscente. Unde manifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata, & limitata. Natura autem rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem, & extensionem. Propter quod dicit Philosophus. 3. de Anima. quod anima est quodammodo omnia. Coarctatio autem formæ est per materiam. Unde & supra diximus, quod formæ secundum quod sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt ad quandam infinitatem. Patet igitur, quod immaterialitas alicuius rei est ratio, quod sit cognoscentia, & secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis. Unde in 2. de anima dicitur, quod plantæ non cognoscunt propter suam materialitatem. Sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia: & intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est à materia, & immixtus, ut dicitur in 3. de anima. Unde cum Deus sit in summo immaterialitatis (ut ex superioribus patet) sequitur, quod ipse sit in summo cognitionis.

Ad primum ergo dicendum, quod quia perfectiones procedentes à Deo in creaturas, altiori modo sunt in Deo (ut supra dictum est) oportet, quod quantum docunque

docuque nomen sumptum à quacunque perfectione creaturæ Deo attribuitur, secludatur ab eius significatione omne illud, quod pertinet ad imperfectum modum, qui competit creaturæ. Vnde scientia non est qualitas in Deo, vel habitus, sed substantia, & actus purus.

Ad secundum dicendum, quod ea, quæ sunt diuisim, & multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter, & vniæ, vt supra dictum est. Homo autem secundum diuersa cognita habet diuersas cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam: scientiam vero, secundum quod cognoscit conclusiones: sapientiam, secundum quod cognoscit causam altissimam: consilium, vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia. Sed hæc omnia Deus vna, & simplici cognitione cognoscit, vt infra patebit. Vnde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest: ita tamen, quod ab vnoquoque eorum secundum quod in diuinam prædicationem venit, secludatur quicquid imperfectionis est, & retineatur quicquid perfectionis est. Et secundum hoc dicitur Iob. 22. Apud ipsum est sapientia & fortitudo, & ipse habet consilium & intelligentiam.

Ad tertium dicendum, quod scientia est secundum modum cognoscentis. Scitum enim est in sciente secundum modum scientis. Et ideo, cum modus diuinæ essentia sit altior, quam modus, quo creaturæ sunt, scientia diuina non habet modum creaturæ scientiæ, vt scilicet sit vniuersalis, vel particularis, vel in habitu, vel in potentia: vel secundum aliquem talem modum disposita.

Conclusio est affirmans.

## ARTICVLVS II.

Utrum deus intelligat se.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod Deus non intelligat se. Dicitur enim in libro de causis, quod omnis sciens, qui scit suam essentiam, est rediens ad essentiam suam rediione completa: sed Deus non exit extra essentiam suam, nec aliquo modo mouetur: Et sic non competit sibi redire ad essentiam suam, ergo ipse non est sciens essentiam suam.

2. Præterea, intelligere est quoddam pati, & moueri, vt dicitur in 3. de Anima: scientia etiam est assimilatio ad rem scitam, & scitum etiam est perfectio scientis. Sed nihil mouetur, vel patitur, vel perficitur à seipso, neque similitudo sibi ipsi est,

Vasquez in 1. part. Tomus I.

vt Hilarius dicit. Ergo Deus non est sciens seipsum.

3. Præterea, Præcipue Deo sumus similes secundum intellectum: quia secundum mentem sumus ad imaginem Dei, vt dicit Aug. Sed intellectus noster non intelligit se, nisi sicut intelligit alia, vt dicitur in 3. de anima. Ergo deus non intelligit se, nisi forte intelligendo alia.

Sed contra est, quod dicitur 1. ad Cor. 2. Quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei.

Respondeo dicendum, quod Deus se per seipsum intelligit. Ad cuius euidenciam sciendum est, quod licet in operationibus, quæ transcurrent in exteriorem effectum obiectum operationis, quod significatur vt terminus, sit aliquid extra operantem, tamen in operationibus, quæ sunt in operante obiectum, quod significatur vt terminus operationis, est in ipso operante: & secundum quod est in eo, sic est operatio in actu. Vnde dicitur in libro de Anima quod sensibile in actu est sensus in actu, & intelligibile in actu est intellectus in actu. Ex hoc enim aliquid in actu sentimus vel intelligimus, quod intellectus noster vel sensus informatur in actu per speciem sensibilis vel intelligibilis. Et secundum hoc tantum sensus, vel intellectus aliud est à sensibili, vel intelligibili: quia vtrumque est in potentia. Cum igitur Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus, oportet quod in eo intellectus & intellectum sint idem omnibus modis, ita scilicet, vt neque careat specie intelligibili: sicut intellectus noster cum intelligit in potentia, neque species intelligibilis sit aliud à substantia intellectus diuini: sicut accidit in intellectu nostro, cum est actu intelligens, sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus diuinus. Et sic seipsum per seipsum intelligit.

Ad primum ergo dicendum, quod redire ad essentiam suam, nihil aliud est, quam rem subsistere in seipsa. Forma enim in quantum perficit materiam dando ei esse, quodammodo supra ipsam effunditur: in quantum vero in seipsa habet esse, in seipsam redit. Virtutes igitur cognoscitiuæ, quæ non sunt subsistentes, sed actus aliquorum organorum, non cognoscunt seipsas: sicut patet in singulis sensibus. Sed virtutes cognoscitiuæ per se subsistentes cognoscunt seipsas. Et propter hoc dicitur in libro de causis, quod sciens essentiam suam redit ad essentiam suam. Per se autem subsistere maxime conuenit deo. Vnde secundum

Ad 3. hunc

Lib. 15. de Trin. ca. 1. & lib. 6. super Gen. ca. 12. ad med. tom. 2. lib. 3. de anima. text. 36. & 37. tom. 2.

Lib. 3. de anima. text. 36. & 37. tom. 2.

81  
Veni. 2. art.  
2. & 1. cont.  
6. 47 & 48.  
6. 1. 4. 11.  
6. 3. 1. 1. d.  
2. 1. 2. Et 11.  
mol. 8. con. 4.  
Prop. 15. in  
prim. 10. 3. 1.  
ter. opera. A.  
ristot. Lib. 3.  
de anima. text. 12.  
6. 2. 16. 2.

Lib. 3. de  
Trin. con.  
multum re.  
m. 1. 4. 16.  
1. 1. 1. 1.

hunc modum loquendi, ipse est maxime rediens ad essentiam suam, & cognoscens seipsum.

*Loco citato in  
argumento.* Ad secundum dicendum, quod moueri & pati sumuntur æquiuoce, secundum quod intelligere dicitur esse quoddam moueri, vel pati: ut dicitur in 3. de anima. Non enim intelligere est motus, qui est actus imperfecti qui est ab alio in aliud: sed actus perfecti existens in ipso agente. Similiter etiam quod intellectus perficitur ab intelligibili, vel assimilatur ei, hoc conuenit intellectui, qui quandoque est in potentia: quia per hoc, quod est in potentia, differt ab intelligibili, & assimilatur ei per speciem intelligibilem, quæ est similitudo rei intellectæ, & perficitur per ipsam, sicut potentia per actum. Sed intellectus diuinus, qui nullo modo est in potentia, non perficitur per intelligibile neque assimilatur ei: sed est sua perfectio, & suum intelligere.

Ad tertium dicendum, quod esse naturale non est materiæ primæ, quæ est in potentia, nisi secundum quod est reducta in actum per formam. Intellectus autem noster possibilis se habet in ordine intelligibilem sicut materia prima in ordine rerum naturalium; eo quod est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima ad naturalia. Vnde intellectus noster possibilis non potest habere intelligibilem operationem, nisi in quantum perficitur per speciem intelligibilem alicuius, & sic intelligit seipsum per speciem intelligibilem, sicut & alia. Manifestum est autem quod ex eo, quod cognoscit intelligibile, intelligit ipsum suum intelligere: & per actum cognoscit potentiam intellectiuam. Deus autem est sicut actus purus tam in ordine existentium, quam in ordine intelligibilium: & ideo per seipsum seipsum intelligit.

*Notatio circa hos duos articulos.*

**C**onclusio est affirmans. Nihil circa hos duos articulos occurrit difficultatis, quod notatione dignum sit. Caiet. vehementer laborat in examinandis rationibus S. Th. id vero mihi superuacaneum visum est. Nam doctrina Doctoris sancti adeo perspicua est, ut confirmatione non egeat. Nec ullus hactenus fuit, qui Deum esse fatetur insipientem, aut ignorantem: hæc enim perfectio potissimum Deo est tribuenda. Est tamen obseruandum iuxta doctrinam Dionysii, quam retulimus supra disp. 2. cap. 5. Patres cum negant Deo sapientiam, intelligentiam, & alia, quæ ad intellectum pertinent, significare, ea omnia non reperiri in Deo eo modo, quo in nobis sunt, sed multo eminentiori ratione: ita tamen, ut aliter à nobis explicari, & intelligi nequeat, quam per ea, quæ in nobis videmus, & experimur: in Deo namque scien-

*Dionys.  
Observatio  
pro Patrum  
intelligentia*

tia illius nihil aliud est, quam substantia eius, quæ nullam in se recipiens mutationem iuxta rerum variationem varie quoque à nobis appellatur, scientia nimirum simplicis intelligentiæ, aut visionis, ut in cursu huius quæst. videbimus.

## ARTICVLVS III.

*Utrum Deus seipsum comprehendat.*

**A**d tertium sic proceditur. Videtur, quod Deus non comprehendat seipsum. Dicit enim Augustinus in libro 83. quæstionum, quod id quod comprehendit se, finitum est sibi. Sed Deus est omnibus modis infinitus. Ergo non comprehendit se. Si dicatur quod Deus infinitus est nobis, sed sibi finitus; Contra, verius est vnumquodque secundum quod est apud Deum, quam secundum quod est apud nos. Si igitur Deus sibi ipsi est finitus nobis autem infinitus, verius est Deum esse finitum, quam infinitum. Quod est contra prius determinata. Non ergo Deus comprehendit seipsum.

Sed contra est, quod Augustinus dicit ibidem. Omne quod intelligit se comprehendit se. Sed Deus intelligit se: ergo comprehendit se.

Respondeo dicendum quod Deus perfecte comprehendit seipsum; quod sic patet. Tunc enim dicitur aliquid comprehendit, quando peruenitur ad finem cognitionis ipsius; & hoc est quando res cognoscitur ita perfecte, sicut cognoscibilis est. Sicut propositio demonstrabilis comprehenditur, quando scitur per demonstrationem; non autem quando cognoscitur per aliquam rationem probabilem. Manifestum est autem quod Deus ita perfecte cognoscit seipsum, sicut perfecte cognoscibilis est. Est enim vnumquodque cognoscibile secundum modum sui actus. Non enim cognoscitur aliquid, secundum quod in potentia est, sed secundum quod est in actu, ut dicitur in 9. Metaph. Tanta est autem virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas eius in existendo: quia per hoc quod actu est, & ab omni materia & potentia separatus Deus cognoscitur, ut ostensum est. Vnde manifestum est, quod tantum seipsum cognoscit quantum cognoscibilis est. Et propter hoc seipsum perfecte comprehendit.

Ad primum ergo dicendum, quod comprehendere, si proprie accipiat, significat aliquid habens & includens alterum. Et sic oportet quod omne comprehensum sit finitum, sicut omne inclusum. Non sic autem comprehendit dicitur

DEVS

Deus à seipso, ut intellectus suus sit aliud, quam ipse, & capiat ipsum & includat; sed huiusmodi locutiones per negationem sunt exponendæ. Sicut enim Deus dicitur esse in seipso, quia à nullo exteriori continetur, ita dicitur comprehendere à seipso, quia nihil est sui quod lateat ipsum.

*Epist. 112. ad Paulinum cap. 9. circa prim. 10. 2.*  
Dicit enim August. in libro de videndo Deum, quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem.

Ad secundum dicendum: quod cum dicitur, deus finitus est sibi: intelligendum est secundum quandam similitudinem proportionis, quia sic se habet in non excedendo intellectum suum sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem sic dicitur deus sibi finitus, quod ipse intelligat se esse aliquid finitum.

**C**onclusio est affirmans: quæ quamquam difficilis est, quia tamen communem continet difficultatem cum ea, quam disp. 53. tractauimus, ex ijs, quæ ibi diximus, facile colligi potest, quid de hac dicendum nobis sit.

## ARTICVLVS IV.

*Vtrum intelligere Dei, sit eius substantia.*

*83  
1. 1. 1. 46.  
2. 47. 1. 11.  
4. 1. 1. 1. 1.  
11. 1. 1. 1. 1.  
1. 1. 1. 1. 1.  
1. 1. 1. 1. 1.*  
**A**d quantum sic proceditur. Videtur, quod ipsum intelligere Dei non sit eius substantia. Intelligere enim est quedam operatio. Operatio autem aliquid significat procedens ab operante, substantia autem operantis non procedit ab operante. Ergo ipsum intelligere Dei non est ipsa substantia.

2. Præterea, Cum aliquis intelligit, se intelligere, hoc non est intelligere aliquid magnum, vel principale intellectum, sed intelligere quoddam secundarium, & accessorium. Si igitur Deus sit ipsum intelligere, intelligere Deum erit sicut cum intelligimus intelligere. Et sic non erit aliquid magnum intelligere Deum.

3. Præterea. Omne intelligere est aliquid intelligere. Cum ergo Deus intelligit se, si ipsemet non est aliud, quam suum intelligere, intelligit se intelligere: & intelligit se intelligere se intelligere, & sic in infinitum. Non ergo ipsum intelligere Dei est eius substantia.

*Libro 7. de Trin. cap. 7. 1. 1. 1.*  
Sed contra est, quod dicit Aug. lib. 7. de Trin. Deo hoc est esse, quod sapientem esse. Hoc autem est sapientem esse, quod intelligere. Ergo Deo hoc est esse, quod intelligere. Sed esse Dei est eius substantia, ut supra ostentum est. Ergo intelligere Dei est eius substantia.

Respondendo dicendum, quod est necesse dicere quod intelligere Dei est eius substantia. Nam si intelligere Dei sit aliud

quàm eius substantia, oporteret ut dicit Philosophus in 12. Metaphys. quod aliquid aliud esset actus, & perfectio substantiæ diuinæ, ad quod se haberet substantia diuina, sicut potentia ad actum: quod est omnino impossibile. Nam intelligere est perfectio & actus intelligentis. Hoc autem qualiter sit, considerandum est. Sicut enim supra dictum est, intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in operante sicut actus, & perfectio eius, prout esse est perfectio existentis. Sicut enim esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem. In Deo autem non est forma, quæ sit aliud, quam suum esse, ut supra ostentum est. Vnde cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ut dictum est: ex necessitate sequitur quod ipsum eius intelligere sit eius essentia & eius esse. Et sic patet ex omnibus præmissis, quod in Deo intellectus intelligens, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino vnum, & idem. Vnde patet per hoc, quod Deus dicitur intelligens, nulla multiplicitas ponitur in eius substantia.

Ad primum ergo dicendum, quod intelligere non est operatio exiens ab ipso operante, sed manens in ipso.

Ad secundum dicendum, quod cum intelligitur illud intelligere, quod non est subsistens, non intelligitur aliquid magnum, sicut cum intelligimus intelligere nostrum. Et ideo non est simile de ipso intelligere diuino, quod est subsistens.

Et per hoc patet responsio ad tertium. Nam intelligere diuinum, quod est in se ipso subsistens, est sui ipsius, & non alius alterius, ut sic oporteat procedere in infinitum.

**C**onclusio est affirmans: ea verò optima ratione naturali deducitur ex ijs, quæ dicta sunt supra q. 3. de simplicitate Dei: cum enim Deo nullo accidens conuenire possit, sed omnia, quæ sunt in Deo, sunt substantia ipsius, sequitur de cognitione, & scientia idem dicendum esse. Poterat tamen hic difficultas quædam examinari, an scientia visionis sit substantia Dei. Ratio vero dubitandi est, quoniam hæc ita est in Deo ab æterno, si Deus vellet, posset non esse: ergo videtur natura sua posse abesse, & adesse Deo absque illius corruptione: nec proinde nec esse substantia Dei, quæ eodem modo semper necessario esse debet. Sed quia hæc communis est difficultas cum ea, quam de voluntate Dei tractabimus infra disp. 79. ideo ipsa nunc super sedendum iudicauimus.

## ARTICVLVS V.

*Vtrum Deus intelligat alia se.*

**A**d quantum sic proceditur. Videtur, quod deus non cognoscat alia à se. Quæcumque enim sunt alia à

*1. 1. 1. 1. 1.  
1. 1. 1. 1. 1.  
1. 1. 1. 1. 1.*

*Art. 2. huius  
quæst.*

*2. 1. 1. 1. 1.  
2. 1. 1. 1. 1.  
2. 1. 1. 1. 1.*

*Ratio  
naturalis pro  
conclusionem.*

*13*

*84*

*1. 1. 1. 1. 1.  
2. 1. 1. 1. 1.  
1. 1. 1. 1. 1.*

*Deo, cont. 6. 48. 6.*

49. 7. 16. 83.  
quæstio 9. 4. 6.  
p. 11. medium,  
tom. 4.

Deo, sunt extra ipsum. Sed August. dicit in libro 83. questionum, quod neque quicquam Deus extra seipsum intuetur. Ergo non cognoscit alia à se.

2. Præterea. Intellectum est perfectio intelligentis. Si ergo Deus intelligat alia à se, aliquid aliud erit perfectio Dei, & nobilius ipso. Quod est impossibile.

3. Præterea. Ipsum intelligere speciem habet ab intelligibili, sicut omnis alius actus à suo obiecto. Vnde & ipsum intelligere tanto est nobilius, quanto etiam nobilius est ipsum, quod intelligitur. Sed Deus est ipsum suum intelligere, ut ex dictis patet. Si igitur Deus intelligit aliquid aliud à se, ipse Deus specificatur per aliquid aliud à se; quod est impossibile. Non igitur intelligit alia à se.

Sed contra est, quod dicitur Hebr. 4. Omnia nuda: & aperta sunt oculis eius.

Respondeo dicendum, quod necesse est Deum cognoscere alia à se. Manifestum est enim, quod seipsum perfecte intelligit. Alioquin suum esse non esset perfectum, cum suum esse sit suum intelligere. Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est quod virtus eius perfecte cognoscatur. Virtus autem alicuius rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit. Vnde cum virtus diuina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiua omnium entium (ut ex supra dictis patet) necesse est, quod Deus alia à se cognoscat. Et hoc etiam euidentius fit si adiungatur, quod ipsum esse cause agentis primæ, scilicet Dei, est eius intelligere. Vnde quicunque effectus præexistunt in Deo, sicut in causa prima, necesse est, quod sint in ipso eius intelligere: & quod omnia in eo sint secundum modum intelligibilem.

Nam omne quod est in altero, est in eo secundum modum eius, in quo est. Ad sciendum autem qualiter alia à se cognoscat, considerandum est, quod dupliciter aliquid cognoscitur. Vno modo in seipso, alio modo in altero. In seipso quidem cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adæquatam ipsi cognoscibili: sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis. In alio autem videtur id, quod videtur per speciem continentis: sicut cum pars videtur in toto, per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocumque alio modo contingat aliquid in alio videri. Sic igitur dicendum est, quod Deus seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam. Alia autem à se videt non in ipsis, sed in seipso, in quantum

essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Aug. dicentis, quod Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil quod sit extra se intueatur, sed quia id, quod est extra seipsum, non intueatur nisi in seipso, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod intellectum est perfectio intelligentis, non quidem secundum suam substantiam, sed secundum suam speciem: secundum quam est in intellectu, ut forma, & perfectio eius. Lapis enim non est in anima, sed species eius, ut dicitur in 3. de anima. Ea vero, quæ sunt alia à Deo intelliguntur à Deo in quantum essentia Dei continet species eorum, ut dictum est. Vnde non sequitur, quod aliquid aliud sit perfectio diuini intellectus, quam ipsa essentia dei.

Ad tertium dicendum, quod ipsum intelligere non specificatur per id, quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipsum intelligere specificatur per obiectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quæ est principium operationis, sicut calefactio per calorem. Vnde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. Et hæc est species principalis intellectus, quæ in Deo nihil est aliud, quam essentia sua: in qua omnes species rerum comprehenduntur. Vnde non oportet quod ipsum intelligere diuinum, vel potius ipse Deus specificetur per aliud, quam per essentiam diuinam.

Conclusio est, Deus creata omnia non in seipsis, sed in sua ipsius essentia cognoscit.

## ARTICVLVS VI.

Vtrum Deus cognoscat alia à se propria cognitione.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod Deus non cognoscat alia à se propria cognitione. Sic enim cognoscit alia à se, ut dictum est, secundum quod alia ab ipso in eo sunt: sed alia ab eo sunt in ipso sicut in prima causa communi, & vniuersali. Ergo & alia cognoscuntur à Deo, sicut in causa prima, & vniuersali. Hoc autem est cognoscere in vniuersali, & non secundum propriam cognitionem. Ergo Deus cognoscit alia à se in vniuersali, & non secundum propriam cognitionem.

2. Præterea. Quantum distat essentia creature ab essentia diuina, tantum distat essentia diuina ab essentia creature. Sed per essentiam creature non potest cognosci

In cor. art.

Libro 3. de anim. lect. 38. tom. 3.

Art. preced.

2. art.

83.  
1. d. 35. a. 3.  
2. d. 39. a. 10.  
a. 1. c. 1. 114.  
c. 50. c. 61.  
c. 71. c. 72.  
1. 3. c. 75. c.  
76. Et vniuersali.  
q. 2. a. 4. c. 1.  
Et opus 13.  
c. 134. c. 135.  
Art. præced.

213. art. 1. gnosci essentia diuina, ut supra dictum est. Ergo nec per essentiam diuinam potest cognosci essentia creaturæ. Et sic cum Deus nihil cognoscat, nisi per essentiam suam, sequitur quod non cognoscat creaturam secundum eius essentiam, ut cognoscat de ea quid est: quod est propriam cognitionem de re habere.

3. Præterea. Propria cognitio non habetur de re, nisi per propriam eius rationem. Sed cum Deus cognoscat omnia per essentiam suam, non videtur quod vnumquodque per propriam rationem cognoscat. Idem enim non potest esse propria ratio multorum, & diuersorum. Non ergo habet propriam cognitionem Deus de rebus, sed communem. Nam cognoscere res non secundum propriam rationem, est cognoscere res solum in communi.

Sed contra. Habere propriam cognitionem de rebus, est cognoscere res non solum in communi, sed secundum quod sunt ab inuicem distinctæ. Sic autem Deus cognoscit res. Vnde dicitur Hebr. 4. quod pertingit usque ad diuisionem spiritus & animæ, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.

Respondendo dicendum, quod circa hoc quidam errauerunt, dicentes quod Deus alia à se non cognoscit nisi in communi, scilicet in quantum sunt entia. Sicut enim ignis si cognosceret seipsum ut est principium caloris, cognosceret naturam caloris, & omnia alia in quantum sunt calida, ita Deus in quantum cognoscit se ut principium essendi, cognoscit naturam entis & omnia alia in quantum sunt entia. Sed hoc non potest esse. Nam intelligere aliquid in communi, & non in speciali, est imperfecte aliquid cognoscere. Vnde intellectus noster, dum de potentia in actum reducitur, pertingit prius ad cognitionem vniuersalem & confusam de rebus, quam ad propriam rerum cognitionem, sicut de imperfecto ad perfectum procedens, ut patet in 1. Physicorum. Si igitur cognitio Dei de rebus alijs à se esset in vniuersali tantum, & non in speciali, sequeretur, quod eius intelligere non esset omnibus modis perfectum, & per consequens eius esse, quod est contra ea, quæ superius ostensa sunt. Oportet igitur dicere quod alia à se cognoscat propria cognitione, non solum secundum quod communicant in ratione entis, sed secundum quod vnum ab alio distinguitur. Et ad huius evidentiam considerandum est, quod quidam volentes ostendere, quod Deus per vnum

cognoscit multa, vtuntur quibusdam exemplis: vt puta quod si centrum cognosceret seipsum, cognosceret omnes lineas progredientes à centro, vel lux si cognosceret seipsum, cognosceret omnes colores. Sed hæc exempla, licet quantum ad aliquid similia sint, scilicet quantum ad vniuersalem causalitatem, tamen deficient quantum ad hoc, quod multitudo & diuersitas non causantur ab illo vno principio vniuersali, quantum ad id quod principium distinctionis est: sed solum quantum ad id, in quo communicant. Non enim diuersitas coloris causatur ex luce solum, sed ex diuersa dispositione diaphani recipientis. Et similiter diuersitas linearum ex diuerso situ. Et inde est, quod huiusmodi diuersitas, & multitudo non potest cognosci in suo principio secundum propriam cognitionem, sed solum in communi. Sed in Deo non sic est: supra enim ostensum est, quod quicquid perfectionis est in quacunque creatura, totum præexistit & continetur in Deo secundum modum excellentem. Non solum autem id in quo creaturæ communicant, scilicet ipsum esse ad perfectionem pertinet, sed etiam ea, per quæ creaturæ ad inuicem distinguuntur,

Sicut viuere & intelligere, & huiusmodi: quibus viuentia à non viuentibus, & intelligentia à non intelligentibus distinguuntur. Et omnis forma, per quam quilibet res in propria specie constituitur, perfectio quadam est. Et sic omnia in Deo præexistunt, non solum quantum ad id quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea secundum quæ res distinguuntur. Et sic cum Deus in se omnes perfectiones contineat, comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria ut vnitas ad numeros, vel centrum ad lineas: sed sicut perfectus actus ad imperfectos: ut si dicerem homo ad animal: vel senarius, qui est numerus perfectus ad imperfectos sub ipso contentos. Manifestum est autem quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti non solum in communi, sed etiam propria cognitione. Sicut qui cognoscit hominem, cognoscit animal propria cognitione: & qui cognoscit senarium, cognoscit trinarium propria cognitione. Sic igitur cum essentia Dei habeat in se quicquid perfectionis habet essentia cuiuscunque rei alterius, & adhuc amplius: Deus in se ipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Propria enim natura vniuscuiusque consistit, secundum quod per aliquem modum diuinam perfectio-

214. art. 1. in priorib. communis. 1. 2.

214. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

fectionem participat. Non autem Deus perfecte seipsum cognosceret, nisi cognosceret, quomodoque participabilis est ab alijs sua perfectio. Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi. Vnde manifestum est, quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione, secundum quod ab alijs distinguuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod sic cognoscere aliquid sicut in cognoscente est, potest dupliciter intelligi. Vno modo secundum quod hoc adverbium, sic, importat modum cognitionis ex parte rei cognita: & sic falsum est. Non enim semper cognoscens cognoscit cognitum secundum illud esse, quod habet in cognoscente. Oculum enim non cognoscit lapidem secundum esse quod habet in oculo, sed per speciem lapidis, quam habet in se, cognoscit lapidem secundum esse, quod habet extra oculum. Et si aliquis cognoscens cognoscat cognitum secundum esse, quod habet in cognoscente, nihilominus cognoscit ipsum secundum esse quod habet extra cognoscentem. Sicut intellectus cognoscit lapidem secundum esse intelligibile, quod habet in intellectu in quantum cognoscit se intelligere: sed nihilominus cognoscit esse lapidem in propria natura. Si vero intelligatur secundum quod hoc adverbium, sic, importat modum ex parte cognoscentis, verum est, quod sic solum cognoscens cognoscit cognitum, secundum quod est in cognoscente. Quia quanto perfectius est cognitum in cognoscente, tanto perfectior est modus cognitionis. Sic igitur dicendum est, quod Deus non solum cognoscit res esse in seipso, sed per id quod in seipso continet, res cognoscit eas in propria natura: & tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso.

Ad secundum dicendum, quod essentia creaturæ comparatur ad essentiam Dei, ut actus imperfectus ad perfectum. Et ideo essentia creaturæ non sufficienter ducit in cognitionem essentiae diuinæ, sed è conuerso.

Ad tertium dicendum, quod idem non potest accipi, ut ratio diuersorum per modum adæquationis. Sed diuina essentia est aliquid excedens omnes creaturas: unde potest accipi ut propria ratio vniuersalisque, secundum quod diuersimode est participabilis, vel imitabilis à diuersis creaturis.

Notationes circa articulum.

**C**onclusio est affirmans, circa hunc art. 6. obseruandum est, primum fuisse errorem Au-

cennæ, & Auerois, ut refert S. Thom. asserere enim non cognoscere Deum sigillatim, & distingere cetera omnia, sed tantum seipsam. Sic docuit Aueroes 2. Metaph. commen. 51. & in epistula, cui titulus est, *Distinctio distinctionum*, quod haberetur 9. tom. suorum operum, eamque opinionem tanquam Auicennæ defendit Aueroes contra Algazel, eum vero excusat Ferrar. 1. contra gent. c. 50. in fine. Sunt etiam qui putent, esse sententiam Arist. de quo fufius dicemus infra disp. 66. & disp. 87. quid autem ipse senserit, & Cicero de cognitione futurorum, dicemus disp. 64. c. 1. Quod vero attinet ad cognitionem aliarum rerum, etiam singularium, & minimarum, sententiam Auerois, quam retulimus, esse manifestissimum errorem dubitandum non est. Refellitur autem ex illo Pl. 12. *Qui fingit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*, & ad Hebr. 4. *Omnia sunt aperta oculis eius, & nulla creatura est coram eo inuisibilis*. Accedit, quod cum disp. illa 86. probandum sit, Deum providentiam habere rerum omnium sigillatim & particulatim, manifeste sequitur, & scientiam eorum peculiarem habere, siue qua providentia esse nequit.

Deinde obseruandum est contra Okamum in 1. d. 35. q. 2. d. 1. & Gab. q. 2. art. 2. concl. 2. non solum ratione naturali probari posse euidenter, omnia sigillatim & particulatim à Deo cognosci, quod ipsi merito negant, rationem solum probabilem admitcentes: verum etiam ita habere mentibus omnium, Deum esse intelligentem, sicut Deum esse, ut utramque quasi per se notum esse videatur, eo modo, quem explicauimus disput. 9. frustra enim Deus ellet, qui res aliquas creatas non cognosceret. Hanc etiam veritatem conatur probare ratione naturali Greg. in 1. d. 35. q. v. nica.

Verum Hieron. in illud Abacuch cap. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum*, habet hæc verba nimium difficulta, ceterum absurdum est, ad hoc Dei deducere maiestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascuntur culices, quotque moriantur, quæ amicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua nati: & qui de minoribus maiorum precedere debeant. Non sumus tam satui adulatorum Dei, ut dum potentiam eius etiam ad intra detrahimus, in nosmetipsos iniuriōsimus eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes. Ex quo liber ille apocryphus iustitia condemnandus est, in quo scriptum est, quendam angelum nomine Tyri præfisse reptilibus.

Hieronimum vero benigne interpretatur Magister in 1. dist. 36. c. 4. & Episc. Lucensis in lib. aduertentiarum ad 6. 10. Hieronymi questio 5. primum vt neget Hieron. Deum per singula momenta habere notitiam harum rerum notitiam sigillatim, sed dicat, ab æterno vnico intuitu omnia vidisse. Quod si ita esset, idem de hominibus & alijs rebus maioris momenti dicere deberet: at Hieron. putat certe hæc satis fastidiosa. Putat autem, quod si ita esset, idem de hominibus & alijs rebus maioris momenti dicere deberet: at Hieron. putat certe hæc satis fastidiosa. Putat autem, quod si ita esset, idem de hominibus & alijs rebus maioris momenti dicere deberet: at Hieron. putat certe hæc satis fastidiosa.

quam iam illarum cognitionem: in quo videtur fecerit Arist. Doctrinam, de qua disp. 86. dicemus.

Deinde idem Magister, & Episcopus Lutens. interpretantur Hieron. ut neget eodem modo Deum curam gerere rerum minimarum, videlicet deputando illis Angelum, præcepta etiam imponendo, & designando præmia, sicut habet curam hominum, hoc modo explicat etiam Hieronymum Hugo de S. Victore in summam sententiarum tractatu 1. cap. 12. ubi etiam præcedentis expositionis meminit. Mihi tamen non admodum probatur expositio, siquidem verba Hieron. aliud manifeste indicant, vel legenti constare potest, & earum rerum minimarum generalem solum concedit notitiam, & providentiam: sed non propterea Hieronymi sententia in hoc loco veritatem Catholicam labefactare debet. Habemus quoque pro ea ipsius testimonium manifestum in cap. 10. Matth. ubi explicans illud: Nonne duo passeris assere veniunt, &c. ait. Si parua animalia absque Deo auctore non decidunt, & in omnibus semper est providentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt, vos qui æterni estis, non timere debetis, quod absque Dei virtute providentia?

## DISPUTATIO LX.

An Deus res omnes cognoscat in seipso.

*Due opposita sententia. cap. 1.*

Deum non videre creaturas omnes in seipso tanquam in causa, probabilior opinio est. cap. 2.

Deum in se tanquam in speculo creaturas videre. cap. 3.

Soluantur argumenta prima, & secunda sententia. cap. 4.

## CAPVT I.

*Due opposita sententia.*

**D**OCTRINAM utriusque art. præcedentis hac unica disputatione enotare curabimus: namque ex modo, quo Deus cognoscit res creatas, facile colligere licebit, an omnes sigillatim secundum proprias ipsarum rationes cognoscat.

Circa modum vero, quo Deus res alias cognoscit, de quo in art. 5. agitur varie sunt sententia Theologorum, prima est Galvini in 1. d. 35. artic. 2. concl. 1. & Okami in eadem d. quest. 3. Aureoli, ut est apud Capreol. eadem d. 35. q. 2. art. 1. in argum. contra conclusionem, qui affirmant, creaturas a Deo ita proxime in seipsis videri, ut eas non videat in sua essentia, tanquam in obiecto primario prius viso, quæ opinio colligi videtur ex Scoti in 1. d. 35. q. 1. §. Ad ista, in medio illius, ubi primum docet, intellectum diuinum per suam essentiam constitui in actu primo ad intelligendum non tantum suam essentiam, sed etiam creaturas omnes. Asserit deinde, Deum actu veluti secundo intelligere seipsum, & alia: & quamvis in eius doctrina primum obiectum intellectus diuini sit eius essentia, ut infra disp. 143. referemus: nusquam tamen docet essentiam diuinam ita primo cognosci, ut in ea tanquam in obiecto primario prius cognito creaturæ videantur, sed sicut dicit intellectum, Dei per essentiam suam constitui in actu primo ad sui, & aliarum rerum cognitionem: ita docet, in actu secundo se, & omnia alia cognoscere, nec vnum prius alio.

Hæc opinio probatur primum, Creaturæ non sunt in Deo secundum proprias rationes formales, ergo nec in ipso videri possunt secundum illas: hic enim agimus de cognitione creaturarum secundum proprias earum rationes, non quatenus

in Deo dicuntur esse ipse Deus, ut disp. 51. explicatum est: præterea si creaturæ viderentur, ut sunt in Deo non viderentur distincte, cum enim aliquid in alio videtur distincte cognosci non potest: sed Deus distincte, & secundum proprias rationes sigillatim eas cognoscit, ergo non in se, sed in ipsis eas videt.

Secunda opinio est Dur. in 1. d. 35. q. 2. in corp. ad 2. Tho. de Argent. q. 1. maxime vero con. 4. Capreol. q. 1. art. 1. con. 1. & 2. Caiet. & recentiorum in hoc art. aliter, Deum in seipso, tanquam in primario obiecto prius cognito cognoscere omnes creaturas distincte, & proprio conceptu secundum rationes proprias ipsarum: cum dicunt, tanquam, in obiecto prius cognito, significant essentiam diuinam non solum esse quasi speciem ad efficiendam visionem creaturarum; verum etiam esse primum obiectum, in quo prius cognito creaturæ videntur. Deinde, cum addunt, hoc modo a Deo creaturas cognosci secundum proprias ipsarum rationes, plane intelligant, non solum cognosci, quatenus in ipso Deo existentes, dicuntur esse ipse Deus, ut supra dicebamus sed etiam secundum rationes creatas, quibus a Deo distinguuntur, cognosci.

Explicat deinde amplius hanc sententiam Durand. & Caiet. hoc modo, creaturæ dicuntur cognosci in Deo, quia sunt in eius essentia sicut in causa eminentiori quadam ratione vnitæ, ita tamen, ac si distincte continerentur, ut in ea distincte, & perfecte cognoscantur: quare dicunt non cognosci in Deo tanquam in speculo solum, aut specie, sed etiam tanquam in obiecto prius cognito. In hanc sententiam refertur solet S. Thom. in hoc art. 5. & 1. contra gentes c. 53. Agnidius in 1. d. 35. q. 2. Alex. 1. p. q. 1. 2. art. 1. Henric. quodlib. 9. q. 2. qui asserunt Deum in seipso creaturas cognoscere, non in ipsis.

Hæc opinio probatur primo ex Dionys. 7. de diuinis nomin. post medium, ubi non solum docet, Deum in seipso creaturas cognoscere, sed etiam eas in seipso, tanquam in causa, & per causam intelligere. Secundo, quia Aug. lib. 8. q. 46. ait. Deum nihil extra se intueri. Tercio ratione probatur, nam si Deus cognoscit cetera omnia, non ex eo, quod seipsum cognoscat tanquam primum obiectum, sequitur, seipsum non comprehendere: quoniam hac sola ratione diximus, disp. 53. c. 4. Deum a Beatis non comprehendendi, quia non possunt ita Deum videre, ut ex vi visionis, quæ ipsum vident, cetera creata, quæ ad ipsum quodammodo pertinent, valeant intueri: quare etiam si videret Beatus ipsum Deum, & omnia creata assunder, quam ex ipso Deo prius cognito, non diceretur in nostra opinione Deum comprehendere: ergo ut Deus seipsum comprehendat, opus est Deum videre seipsum; & ex vi huius visionis cetera omnia: aut necesse est, ut incidamus in aliquam ex his sententijs, quas in ea disp. ex professo impugnauimus. Quarto, si nihil obest, quo minus Deus seipsum, & creaturas in seipso hoc modo cognoscat, non debemus ei hoc denegare, cum videatur perfectissimus modus cognoscendi, nimirum effectum in perfectissima causa, in qua multo perfectioni mod. est, quàm in seipso.

## CAPVT II.

*Deum non videre creaturas omnes in seipso, tanquam in causa probabilior opinio est.*

**E**GO quidem arbitror, Deum in sua ipsius essentia res omnes creatas intueri, diuerso tamen

Secunda expositio non placet.

Hugo, Viti.

Matth. 10. Testimonium Hieron. pro veritate Catholicæ.

Prima sententia. Galvini, Okami, Aureoli.

Scotus.

Probatur primo.

Probatur secundum.

Secunda sententia. Durand. Argent. Cap. col. Caietan.

S. Thom. Arg. diu. Alexand. Henric.

Dionys. Probatur primo.

Secunda. August. Tercio.

Quarta confirmatur.